

## Quomodo Vindobonae locus deversorii inveniat:


Qui **aeroplano** adveniet, tramine celeri (vulgo: *Schnellbahn* vel *S-Bahn*) numero S8 utatur, quod ad *Floridsdorf* aut *Südbahnhof* vehitur. Tesserae in machinis emuntur prope stationem traminum situs; singulis tessera de aeriportu 3,40 Euronis constat (studiosis pretium non diminuitur!). Licet etiam tramine *CAT* vocato uti, hoc tamen maioris est pretii: tessera simplex 8 Euronis enim constat. Vehendum est dimidiam fere horam usque ad stationem *Wien Mitte*, deinde ferrivia subterranea numero U3 sumenda, ad *Ottakring*. Sed antequam tramen hoc sumatis, nova tessera simplex emenda fuerit, quae 1,70 Euronis constat (et hic studiosis pretium non diminuitur!) et cancellata unam horam valebit. Tessera haec quoque in machinis emitur.



\*\*\* Ferrivia U3 usque ad stationem *Volkstheater* vehendum est. Ab hoc loco pedibus ad viam magnam *Dr. Karl – Renner – Ring* fere duas minutas eundum, ibique currus electricus numero 2 ad *Ottakringer Str/Erdbrustgasse* sumendus, et usque ad stationem *Lederergasse/Josefstätterstrasse* vehendum. Tunc sinistrorsum eundum, via *Strozzigasse*. Post tres minutas pervenitur ad *Pfeilgasse*, a dextra parte deversorium nostrum *Academia Hotel* aspicitur.

Qui **autoraeda longa internationali ad stationem Erdberg** advehetur, ferriviam subterraneam U3 ad *Ottakring* ascendat, cuius stationem prope stationem Erdberg inveniet. Tessera 1,70 Euronis in statione U3 emi potest. In statione *Volkstheater* descendendum est. Vide supra \*\*\*.

Qui **tramine ad stationem ferrivariam occidentalem (Westbahnhof)** adveniet, ferrivia subterranea U3 ad Simmering utatur. Tessera, quae 1,70 Euronis constat, in machinis in statione ferriviaria situs emi potest. In statione *Volkstheater* est descendendum. Vide supra \*\*\*.



Qui **tramine ad stationem ferrivariam meridionalem (Südbahnhof)** adveniet, **autoraedam** longam 13A ad *Alser Strasse/Skodagasse* sumat, quam ad ipsam stationem ferrivariam inveniet. Tessera, quae 1,70 Euronis constat, in machinis in statione ferrivaria sitis emitur. **Autoraeda** longa usque ad stationem *Theater in der Josefstadt* vehendum est, tunc **sinistrorsum** via *Josefstätter Strasse* eundum, dein iterum **sinistrorsum** via *Strozzigasse*. Post tres minutas pervenitur ad *Pfeilgasse*, a dextra parte **deversorium nostrum Academia Hotel** aspicitur.

Omnes qui post 18h adveniunt, in statione *Volkstheater* ad U3 transeant et in statione *Schottenring* descendant. Ibi queraent exitum *Universität/Dr. Karl-Lueger-Ring* et cauponam **ZWILLINGS-GEWÖLB** in *Universitätsstr. 5* adeant.

Qui autem post 20h adveniunt, adeant *Universitatem* per primam maiorem portam (in dextera parte **elegantium** *scalarum*) et per minores *scalas interiores* ad *Institutum Latinum* ascendant.